Observationes Pathologicæ,
quas Conscribebat, et Regiæ Chirurgorum
Parisiensium Academiæ
dicabat
Perenotus.

Observationes Pathologicæ.

Observatio I.

De vesicâ in intestinum rectum patulâ.

Sexagenarius vir sanguineo gaudens temperamento, atque inter Taurinensis Nosocomii majoris valetudinarios vivens, ceu mirum mihi referebat: se urinam secum intestinalium fætore infectam emittere, diu ab alvi ejectione etsi potum opportunè ingereret, lotii parum aut nihil excernere, imò liquidam tunc et irritantem materiam per anum fundere: quotiescumque vero solidiores feces ad anum adstabant, aut dum eas expellere conaretur, se facile et copiosè mingere.

Hæc phænomena explicandi gratiâ, num lythotomiam passus unquam fuisset, aut tumore aut ulcere interno laborasset, ab eo sciscitabar; respondebatque vulgari expressione: se duobus circiter abhinc annis hæmorrhoidibus internis, molestoque tenesmo septem hebdomadas vexatum fuisse, at tandem ichorem et pus cum fecibus excrevisse; pronum in lecto jacere, et continuum posthac immingere tribus circiter mensibus coactum fuisse, ut ingentem, quem intestino recto persentiebat dolorem, ex parte imminueret. Quo postremùm cessante dolore, nullo amplius cunctatu affectus fuit.

Hinc ipsum fistulâ aliquâ, ex intestino in vesicam hiante laborare conjectabam, atque hortabar, ut se chirurgicæ inspectioni traderet: at frustra, nam in tolerabili internoque morbo, nunquam se chirurgi manum admissurum asseverabat.

Octodecim post menses hydrope mortuus est miser, quam nuper ex inopportuna ulceris tibiam occupantis consolidatione contraxerat. Ejus cadaver dissecui, intestinum rectum cum adnexâ vesicâ e pelvi sustuli, tum hac anterius, illo posterius in longum dissectis, sequentia observavi.

Vesicæ cum intestino nexus solito amplior videbatur. Illa in medio adhæsionis loco erosa rimam transversam habebat, cujus margo callosus, et quodammodo fimbriatus erat, quæve pollice longa, et duabus ferme alta lineis, in intestinum hiabat. Hoc vero eodem fere modo, at paullò inferius apertum, rugâ quadam transversâ valvulam confingebat, quæ supra vesicæ apertionem cadens, huic occludendæ par erat.

Non mirum igitur, si post alvi ejectionem intestinum urina ingrediebatur, ac irritatione sua ventrem exonerandi desiderium ciebat. Nam quum ureteres paullò infra illam vesicæ apertionem lotium deponerent, evidens est brevi hoc tantâ fluidum fuisse copiâ, ut impetu contra morbosam intestini valvulam facto, in ipsum intestinum transflueret. Contra vero isto fecibus repleto, aut hisce

prodeuntibus, valvula contra fissuræ marginem pressa duarum cavitatum communicationem intercipiebat. Quod ad urinæ foetorem spectat, hic tribuendus est ipsius urinæ in intestinum irritationi, qua hoc contrahi, illa vero in hoc aliquantisper immorata, ex parte in vesicam repelli debebat.

Apertionem intestini et vesicæ ab erosione puris in abscessu inter utrumque latente collecti, factam fuisse verosimile est ejusque marginem consolidatum, dum favente ægroti in decumbendo, et mingendo positione urina per urethram prodibat.

Hujuscemodi incommodo obviam ire potuisset Chirurgia, antequam morbosæ fissuræ margo occalluisset, suppositorium aliquod solidum, et leve in anum intrudendo, quod intestini rugam contra vesicam apprimeret, et urinæ in intestinum aditum omnino præcluderet, ac opportunam ægroto positionem præscribendo. Suppositorium istud oleo aliquo dulci, amygdalino puta, aut ovi albumine illinisi, quo facilius inderetur, figurâ ovali donari, supra fissuram impelli, deinde taeniolâ per ejus axem longiorem trajectâ, et extra anum propendulâ demitti quoad contra valvulam adversaretur, fecibus ad anum adstantibus extrahi, ipsis ejectis rursus immitti debuisset.

Contractio intestini, qua duriores feces cylindraceam induunt figuram, cujus diameter multo minor est diametro intestini ejusdem flatibus distenti, suppositorii utilitatem probat, atque usum suadet. Qua methodo fortasse ægrotanti etiam prospectum fuisset, dum vesicæ et intestini hiatus jam callum contraxerant: scilicet, ut intestinum herniâ contentum

sacco concrevisse frequenter deprehendimus, sic memorata valvula infra rimam intestino concreta, virum illum ab ingenti liberavisset molestiâ.

Observatio II.

De utero impervio, et carie ossis petrosi.

Melancholica et sterilis quadraginta circiter annorum mulier, quae mensium defectu, et inde sequente chlorosi, et surditate perpetuò laboraverat, febre lenta, et cephalalgiâ tandem periit.

In perlustrandis ejus cadaveris cavitatibus, ut Medico roganti praeter naturalia visa referrem, haec potissimum adverti, quae toti tragediae argumentum praebuisse videbantur.

Uteri orificium penitus sigillatum erat, qua parte vaginam respicit, ejus nempe labra (quod jam antea observaveram in femina, cujus vitae historiam ignoro) continua erant ad lineae crassitiem; interius autem colli cavitas cum corpore, et fundi cavitate continuabatur.

In cranio alterum ex petrosis ossibus malè affectum occurrit. Rupes nimirum hinc inde livida, aut praeter morem aspera conspiciebatur. Tympani membrana consumta, totaque interna pyramidis fabrica affecta carie, stilo ingressum per meatum auditorium externum, egressumque per internum facilè permittebant. Pyramidis apex adeo friabilis evaserat, ut insensili vi destrueretur. In illius angulo anteriori, tubae eustachianae parietes evanuerant, carotidisque externae ramulus,

per foramen spinosum cranii cavitatem penetrans, pure circumrosus aneurismate tumescebat, fabæ volumen superante. Dura nervi acoustici portio, intra cranium superstes, inflammata. In posteriori pyramidis facie pone foramen auditivum, meninges erosæ apparebant, ac in eadem vicinia ex sinus petrosi posterioris erosione sanguinis et puris tantillum extabat, quæ brevi noxam medullæ oblongatæ attulissent.

Advertere est hac parte mulierem adeò surdam extitisse, ut nullum distingueret sonum, neque vociferationes, neque fragores perciperet, nisi per dolorem in cerebro, ut ipsa vivens referebat, obortum. Qui dolor etiam excitabatur, quoties aeri frigidiusculo in hanc aurem patebat aditus. Hinc istam gossypio obturabat, et caput grandi crassaque obvolvebat calanticâ.

Altera aure mulier mediocriter plerumque audierat. In hac autem inter dissecandum tympani membranam debito crassiorem reperi, et cum ceteris mollibus auditus partibus inflammatione correptam.

Ex mensium defectu aurium inflammationem, ex hac surditatem, abscessum, et ossis cariem provenisse credendum est. Surdastram novi puellam, quæ utraque aure susurrum, tinnitum, et bombum instantibus mensibus semper patiebatur, meliusque audiebat ipsis egressis. Hæc quum pubertatem propediem attigisset, abscessum in altera ex auribus passa fuerat, quo abrupto sat puris effluxit aliquandiu, et ulcus lacte a muliebri mamma in aurem frequenter injecto curatum.

Injectiones opportunè adhibitæ ex apta materiâ, qua

pus educi, et ulcus consolidari potuisset, essi cariem in memorata muliere praepedivissent, et caetera symptomata, quae misellae mortem denique intulerunt.

Observatio III.

De matricis polypo cum mensium suppressione

Mense aprili anni 1756, in hac Franciae metropoli, famula quaedam triginta circiter annorum, nondum viro nupta, ob menses ab ineunte hyeme suppressos dolorosi deturbabatur, et frequenti torquebatur hemicrania. Hera ipsam commiserans me, in sui vicinia tunc temporis degentem interpellavit, ut illi opem ferrem. Elegeram, ut linteis calidis inguina, coxas et crura mane et vespere fricaret, pedesque aliquoties in hebdomada in aquam calidam immergeret, hortatus sum, meoque indulsit consilio.

Hemicrania post dies aliquot rarior mitiorque aggrediebatur, sed dolores colici oriebantur, pulsationes ad lumbos, et dolorosae ad pudenda tensiones. Quae cum indicarent sanguinem ad has partes confluentem eniti ut erumperet, emmenagogis negotium absolvere oportere duxi. Itaque ex croci martis drachma una, tribus sacchari albi drachmis, et anisorum drachmis quatuor pulverem composui, cujus drachmam unam singulo mane cum jure aut infusione thè sumendam praescripsi.
Res prospere successit. Vix quinque pulveris hujusce dosibus usa erat aegrotans, quum violento percita dolore, corpus praeter naturam tres fere uncias ponderans, a vagina exiit.

Hoc informe primo intuitu mihi visum est, verum quum aquâ optimè ablutum examinassem, oblongum et tubulatum inveni. Longitudo ejus duos pollices cum dimidio æquabat; cavitas propter quamdam substantiæ laxitatem duos digitos admittebat; parietum crassities duabus lineis dimetiebatur. Superficies exterior sic erat constituta, ut vaginæ rugas, asperitatesque impressas præseferret, et filamentis quamplurimis hirsuta appareret. Interior superficies vaginæ plicas rectius imitabatur, albidior erat, atque solidior. Extremitas superior penè occlusa erat, in centro depressa, et lævis unde versus cavum prominentia pendebat parvæ adinstar glandis, quæ superioris massæ parietibus non ubique adhærens, spiracula aliquot superius relinquebat. Inferior extremitas margine donabatur laciniato, et gracilescente.

Corpus hoc concretionem esse polyposam ab ejus structura judicavi, et jampridem genitum fuisse a fibrarum interioris superficiei consistentiâ conjectavi quæ albescebant et distractæ extendebantur quidem, sed difficili negotio lacerabantur. Ejus conformatio, ipsum vaginæ parietibus adhæsisse, probare videtur; at quum sanguinem menstruum ab utero scatere constet ex physiologicis, hunc polypum uteri cavitatem occupasse dicemus; re enim vera ipso ejecto sanguis triduo copiosè effluxit, atque in posterum naturæ legibus obtemperavit.

Aliud ejusdem notæ phænomenon præcedenti subjiciam. Puella æthiops, quæ apud matronam Cardiniani Principem olim morabatur, ejusque fruebatur beneficiis, et largitate, tribus annis menstruo caruit fluxu, qui ab ineunte adolescentiâ

usque ad XVIII ætatis annum optime se se habuerat, suppressus autem hæmoptysi ortum dedit.

Ad ægræ levamen alternis mensibus vena in pede secabatur, ac tandem ut morbum penitùs debellaret, Medicus opportunis remediis suppressam evacuationem provocare operæ pretium duxit. Fluxerunt reapse catamenia mensibus majo, junio, et julio. at ægra febre putrida mox correpta fuit, et exeunte mense augusto phtisi consumpta periit.

D. Lalouette Parisiensis medicus me ad cadaveris inspectionem admisit. In matricis cavitate corpus invenimus ovi columbini magnitudinem, figuram, et colorem præseferens. Corpus hocce bifariam divisum granis quamplurimis, albis, rotundis, et ferme cartilagineis, forti membrana colligatis constare videbatur. Exterius autem membrana circumdabatur sclerotica comparanda, cujus ope uteri cavitati strictè adeo adhæserat, ut non nisi vi evelli potuerit.

Pevenotus.